

1729, 14

15

ILLVSTRISSIMIS COMITIBVS

HENRICO VI.

IVNIORIS LINEAE RVTHENO,
COMITI AC DOMINO PLAVIAE, DOMINO GRAIZAE,
CRANICHFELDII, GERAЕ, SCHLEIZAE, ET
LOBENSTEINII,
VT ET

ROCHO FRIDERICO

COMITI LINARIAE

DYNASTIAE

LVBBENAVIENSIS ET BVCKOVIENSIS DOMINO,
DOMINIS SVIS SVMMA ANIMI OBSERVANTIA

COLENDIS

OB EGREGIVM INGENII ET ERVDITIONIS

SPECIMEN

QVO LITTERARVM STVDIIS IN HAC ACADEMIA
MAGNA CVM LAVDE HVC VSQVE PERTRACTATIS
FINEM IMPOSERVNT,
GRATVLATVR

ET FAVSTA QVAEVIS AC PROSPERA SIMVL

ADPRCATVR

IOAN. FRANCISCVS BVDDVVS

THEOL. D. ET P. P.

ILLESTISSIMIS COMITIBVS
HENRICO VI
IN HONORE EMERIT RVM HONORIS
COMITI AC DOMINO FLAVIAE, DOMINO CANTAR
GRANICHERDIO, ET TAN. SCHLIZER, ET
DOVERSTINI

ROCHO FRIDERICO
COMITI LINARIAE
DYNASTIAE
LABORAVIMUS ET TROVIMUS DOMINO
DOMINIS SVIS SVMMAM ANIMI OBSERVANTIAM
COLENDIS
OS EGRESSVM INDEMI ET BRVDITIONIS
OVO LITTEAEVM STVDIIS IN HAC ACADEMIA
MAGNA CVM LAVDE HAC VSOVE PERTRACTATIS
FINEM IMPOS/ERVNT
GRATVATVR

ET LAVSTA QVAVIS AC PROHILLA SEVVR
IOAN. FRANCISCO BADDERS
THEOL. D. ET. E. F.

ILLVSTRISSIMI COMITES



Vos nascendi conditio, per pro-
uidam Numinis cuncta sapien-
ter dispensantis curam, supra
reliquos mortalium euexit, vt
in excelsa atque illustri positi
sunt loco; ita omnium oculos animosque
in se conuertunt. Hinc cum virtutis, istius
quidem quae homines christianos decet,
ea qua par est ratione, viam ingrediuntur;
facile alios quoque, idem vt faciant, in-
ducunt,

ducunt , praemiaque adeo sua , quae diuina benignitas in recte facta quaelibet statuit , augent. Ea enim hominum est indoles , & ad imitandum procliuitas , vt exemplis facilius moueantur reganturue , quam legibus atque praeceptis.

Ista ergo cum & VOBIS, ILLVSTRISSIMI COMITES, obtigerit felicitas, vt virtutis , quam tanto studio consecrati estis, gloria, generis fastigium, si non superet, certe aequet; iamque in eo sitis, vt , edito publico quodam eodemque praeclaro admodum ingenii & eruditionis specimine , ex hacce bonarum litterarum sede discedatis: gratulandi officium , ob singularem istum, quo me prosequuti estis, fauorem , mihi impositum esse, sentio. Sed cui grätuler? Num VOBIS? an potius academiae nostrae? Maiusne enim quod ab ea accepistis, quam quod illi attulistis , ornamentum sit? dubitari adhuc iure meritoque potest. VESTRO enim docuistis exemplo , quod praestant-

tis-

tissimi doctores praeceptionibus suis vix obtinebunt, vt omnibus constet, nec natalium splendorem, nec florem aetatis obflare, quo minus quis se totum Christo seruatori tradat, eiusque doctrinae morem gerat, & ita se verum eius discipulum demonstret.

In VESTRAEQUIDEM, ILLVSTRISSIMI COMITES, iniurius essem modestiam, si ea, quae in vitae studiorumque ratione, quam hic tenuistis, laude digna deprehendi, commemorare vellem; non tamen aegre, vt puto, feretis, si eum in finem quaedam attingam, vt alii quoque, quae sibi vsui sint, capere inde atque condiscere queant. Inter illa vero primum praecipuumque locum occupat, quod eorum omnium, quae ad verum atque sincerum Numinis cultum, pietatemque minime fucatam spectant, rationem haud perfunctorie habuistis. Scio equidem, a ciuilibus prudentiae magistris, etisque praestantissimis, id inculcari, religionis

ligionis non negligendam curam; cum ad rem publicam administrandam, similiaque negotia tractanda minime aptus sit, qui sententiarum, quae circa Numinis cultum in diuerfas homines rapiunt partes, sit ignarus; immo & hoc addere solent, prosperos atque felices rerum successus eum, qui placatum propitiumque Deum non habuerit, frustra sibi polliceri; & quae alia sunt eiusdem generis. Quae quidem vt neutiquam, si recte intelligantur, contemnenda existimo; ita valde vereor, ne plerumque, qui talia praecipunt, quae verae religionis, cultusque diuini, qui supremo Numini placere queat, indoles sit, prorsus ignorent. vos equidem, ILLUSTRISSIMI COMITES, nihil eorum, quae ad rerum diuinarum rectam cognitionem, veraeque doctrinae, quam Dei munere nostra tenet ecclesia, confirmationem, & a dissentientium erroribus discretionem, spectant, praetermisistis, quia immo, vt hisce omnibus

bus animum VESTRUM imbueretis, nihil fecistis reliqui: nec tamen ita VESTRO vos censuistis satisfacisse officio, quin potius ut ad fidei, quae vitae sanctae studio vim suam atque efficaciam prodire, conseruationem & incrementum cuncta transferretis, omnem nauastis operam. Eius rei certior, quam ego ipse, testis esse nequit, quem ipsimet ducem in hisce atque doctorem elegistis, & ad scripturae sacrae ductum, quae eo comparata erant, tradentem tanta animi audiuitis attentione, ut & meum in saluberrimis istiusmodi praeceptionibus vobis instillandis excitaretis studium.

Hoc vero ut aliis quoque minime obscurum fuit; ita vehementer optandum esset, ut non tantum qui rerum civilium, sed & qui sacrarum litterarum se consecrarent studio, inde caperent, quod imitarentur. Tota namque vitae, quam hic sequuti estis, ratione demonstratis, disciplinae christianae, cuius vos neutiquam puduit, hanc

hanc esse indolem, ut sine morum innocentia sanctiorisque vitae studio sibi non constet; pertingereque ad eam laudem iuvenes, etiam generis nobilitate florentes, posse, si modo verbo diuino iustum statu-
ant pretium, monitaque eorum, qui in for-
mandis & fingendis ad veram hominis chri-
stiani imaginem illorum animis elaborant,
non adspernentur. In magna equidem fe-
licitatis merito parte ponitis, quod ab in-
eunte aetate talis VOBIS obtigerit institu-
tio, quae ad praeclara quaeuis atque pror-
sus egregia animos VESTROS flectere apta
erat; maius vero adhuc est Numinis bene-
ficium, quod ista verae virtutis semina,
tanta VOBIS insita cura, non tantum reti-
nuistis, atque, ne suffocarentur, impediui-
stis, sed, ut, postquam progerminauerant,
lactum caperent incrementum, magisque
efflorescerent, omnem adhibuistis diligen-
tiam. Hinc enim, quos tandem & ipsi
met percepturi sitis, fructus, & quae
commo-

commoda in patriam, & vtriusque gentem illustrissimam, redundatura sint, conciliare haud difficulter licet.

Qui de mente emendanda componendaque serio sunt solliciti, illi demum cuncta ordine & prout decet, in litterarum quoque studiis rite tractandis agent. In hisce enim si sapientiae, & quidem diuinae, non accedat regimen; facili negotio ad vana, inania, superflua prolabuntur miseri, taliaque magno labore discunt, quae si ignorarent, longe forent feliciores. Graecorum istum fuisse morbum, ut circa nugae & ineptias versarentur, L. ANNAEVS SENECA pronuntiat; mox tamen addit: *ecce! Romanos quoque inuasit inane studium superuacua discendi.* Vtinam! de nostris hodie hominibus idem dici non posset, quod eos inane studium inuaserit superuacua discendi; immo non superuacua modo, sed & inania, sed & talia, quae didicisse, si modo ad mentem meliorem aliquando redeant, eos non poenitere

b

nitere

nitere nequit. Sed hic quoque exemplum
praeiunxistis aliis, ILLVSTRISSIMI COMITES,
ad quod se componant, qui sapere cupi-
unt. Sapientiae enim, quae virtutis amo-
rem comitatur, ductum sequentes eas vo-
BIS colendas summo studio sumistis litte-
ras, quae vitae inferuiunt, & sua se tum
vtilitate tum necessitate commendant. De-
monstrastis hoc ipso, quam procul absitis
ab ista, qua nostra aetas laborat, littera-
rum intemperantia, qua multi non vitae,
sed scholae discunt, nec quae prosunt, sed
quae placent, quae delectant, aut, in qui-
bus vanam quamdam ingenii quaerant
gloriam, consecretantur. Ipsum illud quod
vterque VESTRVM elegit dissertationis ar-
gumentum, ea tantum, quae ab illis, qui
in vita ciuili aliorum promouere commo-
da cupiunt, ignorari non debent, VO-
BIS probari, testatur. In hisce vero rebus
quantum tum ingenii felicitate, tum in-
dustria & labore profeceritis, ipsa tractan-
di,

di, quam obseruastis ratio, cautaque in aliorum ponderandis, reiiciendis, retinendis, aut adprobandis sententiis circumspectio, quemlibet condocerebit.

Quod ergo in votis habui, Deumque immortalem precatus sum, cum ad nos, ILLUSTRISSIMI COMITES, accederetis, ut prospere atque feliciter cuncta VOBIS euenirent, & omni bonorum genere aucti ac locupletati aliquando hinc abire iterum possitis; id eiusdem Dei benignissimi munere vos consequutos esse, maximum utique prorsusque insigne & gaudendi & diuinas laudes concelebrandi mihi praebebat argumentum. Cui quidem ut non deero officio meo; ita eundem praepotentem Deum supplex veneror, ut quae propitio suo in VOBIS inchoauit fauore, ea etiam perficiat, & ad finem, quem ipsimet expetitis, & omnes, qui VOBIS bene cupiunt, optant, perducant, ut publica res pariter ac ecclesia fructus illos vberrimos copiosissimosque

mosque, quorum nobis spem iam facitis
certissimam, percipiat. VESTRA equidem
nobis in posterum carendum est praesentia;
memoria tamen remanebit, eaque iucun-
dissima, quam & apud me nulla delebit
obliuio. Valete, ILLVSTRISSIMI COMI-
TES, & res VESTRAS porro feliciter agite.


Scribebam Ienae die XXI. April,

MDCCXXIX.



Jena, Diss., 1729

X 239 7903



1229, 14 15

ILLVSTRISSIMIS COMITIBVS
HENRICO VI.
IVNIORIS LINEAE RVTHENO,
COMITI AC DOMINO PLAVIAE, DOMINO GRAIZAE,
CRANICHFELDII, GERAЕ, SCHLEIZAE, ET
LOBENSTEINII,

VT ET
ROCHO FRIDERICO
COMITI LINARIAE
DYNASTIAE

LYBBENAVIENSIS ET BVCKOVIENSIS DOMINO,
DOMINIS SVIS SVMMA ANIMI OBSERVANTIA
COLENDIS
OB EGREGIVM INGENII ET ERVDITIONIS
SPECIMEN

QVO LITTERARVM STVDIIS IN HAC ACADEMIA
MAGNA CVM LAVDE HVC VSQVE PERTRACTATIS
FINEM IMPOSERVNT,
GRATVLATVR

ET FAVSTA QVAEVIS AC PROSPERA SIMVL
ADPRECATVR
IOAN. FRANCISCVS BVDDEVS
THEOL. D. ET P. P.